quidam putent et omnibus flagitiis ob
rutum et pro peccatis meis etiam haec
parva sint, tamen tu bene facis quod
ex tua mente etiam malos bonos putas;
Periculosum quippe est de servo alterius
iudicare et non facilis venia prava di
xisse de rectis; Veniet veniet illa dies
et mecum dolebis ardere non paucos;
Ego probrosus ego versipellis et lubricus
ego mendax et satanae arte decipiens
Quid est tutius haec vel credidisse vel
finxisse de insontibus an etiam de noxiis
credere noluisse. Osculabantur mihi
quidam manus et ore vipereo detrahe
bant, dolebant labiis corde gaudebant;
Videbat dominus et subsannabat illos eos et mi
serum me servum suum futuro cum eis iudi
cio reservabat; Alius incessum meum ca
lumniabatur et risum, ille vultui detra
hebat hic in simplicitate aliud suspicabatur,
Poene certe triennium cum eis vixi, multa
me virginum crebro turba circumdedit;
Divinos libros ut potui nonnullis saepe dis
serui, Lectio adsiduitatem adsiduitas
familiaritatem familiaritas fiduciam
fecerat; Dicant quid umquam in me ali
ter senserint quam christianum decebat
Pecuniam cuiusquam accepi munera vel
parva vel magna non sprevi in manu
mea aes alicuius insonuit obliquus
sermo oculus petulans fuit Nihil
mihi aliud obicitur nisi sexus meus et hoc
numquam obicitur nisi cum hierosolimis
paula proficiscitur; Esto crediderunt
mentienti cur non credunt neganti
Idem est homo ipse qui fuerat fatetur
insontem qui dudum noxium loquebatur;
Et certe veritatem magis exprimunt
tormenta quam risus nisi quod facilius
creditur quod aut fictum libenter auditur
aut non fictum ut fingatur inpellitur;
Ante quam domum sanctae paulae nossem
totius in me urbis studia consonabant
Omnium paene iudicio dignus summo sa
cerdotio decernebar; Beatae me
moriae damasus meus sermo erat;
Dicebar sanctus dicebar humilis et disertus;
Numquid domum alicuius lascivioris
ingressus sum numquid me vestes
sericae nitentes gemmae picta facies
auri rapuit ambitio Nulla fuit
alia romae matronarum quae meam
posset edomare mentem nisi lugens at
que ieiunans squalens sordibus fle
tibus poene caecata quam continuis noc
tibus domini misericordiam deprecantem sol
saepe deprehendit cuius canticum psal
mi sunt sermo evangelium deliciae con
tinentia vita ieiunium; Nulla me po
tuit alia delectare nisi illa quam
manducantem numquam vidi, sed post
quam eam pro suae merito castitatis vene
rari colere suspicere coepi omnes
me ilico deseruere virtutes;
O invidia primum mordax tui O sata
nae calliditas semper sancta persequens

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0319